



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCLII. De Reditu Nunciorum Legatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

& incendio devastavit: Sacraenta Ecclesiæ, vestes sacras, & va-  
sa irreverenter tractando, sacerdotes, & Religiosos, & seculares,  
& alios promiscui sexus ultra IV. millia peremit, aliquos truci-  
dando, alios in captivitatem perpetuam deducendo.

## CAP. CCCLI.

*De**Vastatione territorii Rositen in  
terra Livonie.*

**E**odem tempore idem Rex misit alium Exercitum prægran-  
dem versus Livoniam, qui X. Kalendas Decembr. intravit  
territorium dictum Rositen, & illud depopulavit per incendi-  
um & rapinam. Hos duos Exercitus misit ipse Rex ad destru-  
ctionem fidelium, dum adhuc nuncii Legatorum sedis Aposto-  
licæ in persecutione dicti negotii fuerant circa ipsum. Ecce  
qualem devotionem seductor iste habuit ad suscipiendum ba-  
ptismatis sacramentum.

## CAP. CCCLII.

*De**Reditu Nunciorum Legatorum.*

**H**oc anno VII. Kal. Decembr. Nuncii Legatorum Rigam sunt  
reversi, & cum eis quidam Lethovvinus nobilis & quasi se-  
cundus post Regem: qui ex ore ipsius Regis in præsentia Legato-  
rum & multitudine Prælatorum & aliorum fidelium circum-  
stante altâ voce dixit: quod nunquam aliquæ literæ de con-  
scientia Regis super negotio baptismatis sui vel suorum emanave-  
runt, aut Domino Papæ præsentatæ fuerunt, nec mandaverit ta-  
lia in Civitatibus Maritimis & Provinciis aliis in sermonibus pu-  
blicari; addens, quod ipse Rex per Deorum potentiam jurav-  
rit,

rit, quod nunquam aliam legem vellat assumere, præter eam, in qua progenitores sui decesserunt. Hoc idem etiam nuncii prædicti ita esse coram omni multitudine veraciter affirmabant. Quo auditio Legati cum dictâ responsione ad sedem Apostoli-  
cam sunt reversi.

## CAP. CCCLIII.

De

Ædificatione <sup>(a)</sup> civitatum plurium &  
Castrorum.

**A**nno Domini MCCCXXV. (b) Henricus de Ysenberg Commandator de Konigsberg de llicentiâ & mandato Reverendi Viri Fratris Wernerii Magistri Generalis, Viri urique solliciti & intenti circa injunctum sibi officium, ad dilatan-  
dum terminos Christianorum, ædificavit & per-  
fecit in die B. B. Perri & Pauli Apostolorum in terra Barthensi  
castrum Gindavviam. Eodem anno & tempore Eberhardus  
Episcopus Warmiensis per fratrem (c) Fridericum de Libence-  
le Advocatum suum in terra Galindia in littore fluminis Pisse  
ædificavit Castrum Warthenberg, quod castrum dum esset perfe-  
ctum, & de spiritu S. missa solemniter cantaretur, apparuit in-  
fra Evangelium una columba albissima domestica. Sed in prio-  
ri Castro scilicet Gerdavia, dum etiam missa celebraretur, & post  
missam apparuerunt duæ Columbæ volantes infra Castrum &  
supra mœnia. Prutheni autem qui huic ædificationi interfue-  
runt asserebant veraciter, quod in hac Vasta solitudine nunquam  
columbas domesticas vidissent. Præterea idem frater Frideri-  
cus in territorio Glottoviae in medio fluminis Alle civitatem  
dictam Guthstatt. Et Jordanus Præpositus Warmiensis castrum  
dictum:

Anno Domini  
MCCCXXV. in  
Italia de parte  
Gelphorum mul-  
ta millia per Ge-  
bellinos sunt ac-  
cisa.

